



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica sexta, seu Palmarum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

profundum venerit, contemnit, & insultat Redemptori, Servatori suo. Quid nos? fili! è quorum sumus numero?

Instructio meritoria.

Condoleamus, & pro tanta perfidia satisfaciamus recitando 33. *Pater & Ave.* In fine jungamus *Te Deum Laudamus.* Honore redimendus est ablatus honor.

Dominica VI. Quadragesimæ
seu

Palmarum.

EXHORTATIUNCULA I.

Tandem ingredimur scholam Passionis Dominicæ, & Theatrum omnium virtutum. Ecce! hic humilavit Deus semetipsum factus obediens usque ad mortem; mortem autem Crucis. O quanta demissio! & hæc Deus: Quid jam statuat peccator?

Instructio Meritoria.

Obedientia, & humilitas Christi ut operetur in cordibus nostris, usque ad confessionem proximam tres actus humili-

militatis , & tres obedientiæ exerceamus , & exercitos conscribamus , manibusque R. Patris spiritualis extradamus . Interim pro majori merito exosculabimur quinque Vulnera Jesu sub 5. Pater & Ave . Hæc requies mea ! hîc hababo , vivam , & moriar !

II.

Siccine ô fili ! filius Dei tradetur Gentibus , & illudetur , & flagellabitur , & conspuetur , & postquam flagellaverint , crudeliter occidetur ? ita S. Lucas . Non erimus socii compatiendo ? non comites passionem Jesu amorosius meditando ?

Instructio meritoria.

Erimus ! hinc à Recollectione mentis exordiamur instantem S. Passionis hebdomadem . Ideò quantum fieri potest , fugiamus publicum , & servemus silentium . Insuper in venerationem totius Passionis recitemus 33. Pater & Ave cum hymno ex Laudibus : *Lustris sex qui jam peractis , tempus implens cor-*

po-

poris &c. Frater Jesu non est, qui ne-
scit pati cum Eo.

III.

Oùam devotus hodie in Jerusalem
populus erga adventantem Do-
minum! straverunt enim vestimenta
sua. Sic est: Quidquid in nostra sub-
stantia, & potestate, id omne in Dei im-
pendatur obsequium. *Deo enim pro-*
prium est (ait S. Thomas Aquinas) ut
sit centrum *totius amoris*. Diligamus
ergo sine modo, diligamus omni modo,
diligamus, sicut diligibilis est. Hæc
Thom. Villanov.

Instructio meritoria.

Et hoc, quando fieri potest conve-
nientius, quam hac hebdomade dolo-
rosa? ergo pro omni die certum actum
humilitatis, & mortificationis nobis con-
scribamus, & ad exercendum à R. Patre
spirituali licentiam cum Benedictione
petamus. Oremus porro expansis bra-
chiis Rosarium de quinque dolorosis
mysteriis. Jesus tot, & tanta pro
nobis: Nos autem quid pro Jesu? O
si vel his diebus plurima! maxima!

C opera

opera illustrissima ! Magnum magna
decent.

Cœna Domini.

EXHORTATIUNCULA I.

EN! appropinquavit dies, quâ Jesus
se totum nobis dedit in edulium.
Satietur illô cor nostrum, adeò, ut nihil
sapiat amplius, nisi Jesus. Præter hunc
valeant omnia ! Quid ? ô fili ! possiden-
tes Deum exoptemus aliud ? ubi illud ?
*Quid mihi est in cœlo ? Q' à te, quid vo-
lui super terram ?* suspirat David.

Instructio meritoria.

Trinis extraordinariis visitationibus
consolemur captivum in tabernaculo
Jesum. In prima oremus *Lytanias de
SS. Altaris Sacramento.* In secunda of-
ficium minus de eodem. In tertia pro
veneratione totius ætatis Christi 33. Pa-
ter & Ave cum *Te Deum Laudemus.*
Frater fratrem redimat, si verè diligit!

II.

Hodie audiamus ultimam morituri
Jesu voluntatem. Quæ illa ? hoc
facite in meam commemorationem.

Com-